



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE VII. JANUARIUS.



Arcionne a. d. 2. Decem.
Ledius Marchio, idem-
que sumus copiarum
præfectus, milites ex-
auctorandi in princi-
patu nostro iam fecit
initium, neque am-

plius in Catalaunia relictum iri ferunt
quam quadraginta agmina pedestria,
equitum legiones sex, dimacharum **
octo, atque his legatos *** sex, decem-
que tribunos militum **** præfuturos.

* *Bataillon.* ** *Dragoner.* *** *Gene-
ral-Lieutenant,* **** *Feld-Marschall.*

Parisis a. d. 16. Decembr. Infantem
Hispanicam *a. d. 15. Febr.* qua natalem
suum Rex Christianissimus recolere con-
suevit, hic adfuturam certo certius ad-
firmant. Diploma, quo rex Episcopum
Foro-Julii, quo Præceptore usus est, Ar-
chiepiscopus Remensem constituet, pa-

rari iam ad mandatum regis, certum est.
Bajona nuntiatur, reginam viduam Hi-
spanicam, totam in eo esse, vt, tum In-
fantem Hispanicam, tum Monpensie-
riam principem, cum ad urbem eam ac-
cesserint pro dignitate queat excipere:
inter alia curasse eam argentum escale
parari, centum millibus numerorum,
quos imperiales nominamus, vtramque
enim principem, & hispanicam regis
Gallix, & monpensieriam Asturix prin-
cipis, sponsam in ea vrbe dies aliquot
commoraturam ferunt; quapropter ea-
dem regina vidua, per dies illos, non
solum conuiuia opipara instruenda, sed
& saltationes, ludos scenicos aliaque
oblectationum genera instituenda cura-
bit.

Alia a. d. eandem. Pelisierus quidam,
qui in numero domesticorum Ephori
Lugdunensis fuit, quemque inter alios
scele-

scelerum suorum socios, Cartouchius haud fuisse postremum professus erat, vinculis constrictus curruque impositus, stipantibus octo equitibus, huc deduci debuit. Sed ubi id complices eius comperissent, in dumetum quod obuium erat itineri deducentium hominem sceleratum, in insidias se receperunt, atque non auriga solum sed & equitibus illis interfectis, socium suum in libertatem restituerunt. Ante paucos etiam dies in aggeribus urbis nostrae octoginta circiter socii Cartouchii nocturno tempore in consilium conuenerunt, nouumque sibi de numero suo elegerunt loco cartouchii antesignatum, qui sibi postea S. Stephani nomen adsciuit, atque singulis, quo quisque se tenere debeat, locum adsignauit, vt, quoties, opera eorum, indiguerit, conuocare eos facilius queat. Superiori hebdomade varia eaque quam pretiosissima aulæa, cum argento mensali, in vrbe nostra parato, Roman Equiti Georgiano sunt missa.

Londini. a. d. 12. Dec. Navis quædam, cui *Schitti* nomen est, Pretiosissimis onusta mercibus, in portum Caletanum intravit, & quemadmodum tradunt, aliam in mari nauem reliquit, quæ exorta tempestate, ab illa separata, ventisque impedita fuit, quo minus cursum persequi poruerit. His diebus, tres illi homines, qui e naufragio, quo Belhauius cum omibus suis periit, conseruati fuerant, ad rei nauticæ præfectos adducti, omnem naufragii rationem exposuerunt, & Belhauio in primis dederunt vitio, quod is nauis præfectum, qui meliora suaserat, inuitum soluere, atque vela alto committere coegerit. Inde enim factum, vt, dum gubernator ventis, perpetuo aduersum tenentibus, aliquantisper indulgere, & propius ad

continentem accedere voluerit, nauis, præter omnium opinionem in scopulos illideretur. Igitur, cum omnes ineuitabile naufragium ante oculos conspicerent, nihil prius sibi faciendum duxerunt nautæ, quam vt scapham præpararent, in quam Belhauius in primis impositus, mortis periculum effugere posset. At enim vix cogitare cœperant de consilio tam salubri, cum nauis, fluctibus quassata, dissolueretur, & omnia secum in profundum traheret. Eonus, eques, qui, commerciorum causa, ab Hispaniæ rege huc erat missus, & deinde Mantuam Carpetanorum ahierat, nunc denuo ad nos rediit. Qui societati Austri sunt præfecti, tria horologia, ex quibus vnum campanulis instructum, singulis horis suauissimum concentum edit, ingenti pretio coemerunt, & illa pro regi nouæ Hispaniæ dono mittere constituerunt.

Alia ex vrbe. a. d. 13. Decembr. Equidem superioris curiæ patres precibus rogandum censuerant regem, vt cum regni senatu communicaret, quæ Cartreto, ad Septemtrionis principes abiturus, dederat in mandatis; sed cum quosdam ea in re sibi aduersari cernerent, Wahrtonus dux, Northus, Greius, Guilfordus, Cowperus, Vxbridgius, Boylius, Blingleus Straffordus, Scarsdallius, Aylesfordus, Bristolus, Aberdeenius, Bathurstius, & Roffenus talia publicis tabulis inferenda curauerunt.

I. "Quamquam vice plus simplici in publicis rerum nostrarum commentariis relatum legamus, quod primores regni sibi eorum, quæ in mandatis acceperant legati, copiam fieri, rogaauerint, & numquam accidisse nouimus, vt aliqui restiterint eiusmodi proposito; & quamquam omnino optemus, vt vltimum hoc denegati suffragii sit exem-

exem-

„exemplum, nihilo secius tamen iustam
 „timendi habemus causam, ne id, quod
 „paucis abhinc diebus accidit, futuro
 „tempore in exemplum, quod imitari
 „fas est, ab aliis trahatur.

II. Id quidem coniectura nos adsequi
 „haud posse, profitemur, qua ratione
 „preces illæ, confecto prorsus opere, &
 „sancita omnium præteritorum obliuio-
 „ne, rei publicæ damno esse, atque in-
 „commodo eos adficere queant, qui
 „operi manum olim admouerunt: cum
 „e sententiarum potius, quæ inter nos
 „est, diuersitate multo maius nobis pe-
 „riculum imminere conspiciamus. Quod
 „si enim in manus nostras peruenire ne-
 „queunt eiusmodi mandata, quibus in-
 „structi fuerunt legati, timendum om-
 „nino est, ne hoc modo viri cordatio-
 „res, ab eiusmodi inquisitione, quæ
 „cum salute reipublicæ coniuncta est,
 „deinceps deterreantur, illi autem,
 „qui nocere cupiunt publicæ rei, data
 „hac impune lædendi occasione, in no-
 „cendi proposito confirmantur.

III. Præterea, etiamsi ius belli ac
 „pacis penes regem esse, arbitramur,
 „id tamen superiori quoque curiæ a ma-
 „ioribus concessum fuisse credimus, vt
 „dispicere queat, qua ratione se gesse-
 „rint, quos eiusmodi grauissimis nego-
 „tiis rex adhibuit, promeritisque adfici-
 „at pœnis, si qui forte res suæ deman-
 „datas fidei male administrasse depre-
 „hendantur. Illud autem nulla fieri
 „poterit ratione, nisi a patribus curiæ
 „adscriptis sciatur, quid rerum iis rex
 „mandauerit, quoue modo exequuti
 „fuerint mandata. Hocque vel pro-
 „pter ea nobis maxime necessarium esse
 „videtur, quod in tabulis, quibus suc-
 „cessio constituitur, disertis verbis cau-
 „tum legitur: Ne regnum propter alias
 „prouincias, quas, præter magnam Bri-

„tanniam, rex possidet, bellis implice-
 „tur. Omnia autem illa, quæ cum sep-
 „temtrionis principibus legati deinceps
 „paciscentur, clarissimis concepta ver-
 „bis esse debent, ne litigandi causam
 „præbeant vocabula *æquiuoce* accepta,
 „& turbas in republica concitent. Hac
 „enim ratione non tantum huic curiæ,
 „sed omni, qua patet, regno, nihil
 „vniquam actum fuisse, patebit, quod
 „legibus, quibus reipublicæ salus niti-
 „tur, contrarium fuerit.

Alia Londini a. d. 16. Decembr. Hester-
 na die cuncti illi homines, qui ex cap-
 titiuitate, qua in regno Maroccano tene-
 bantur, liberati ad nos redierant, ad
 persoluendas Deo pro liberatione sui
 gratias ad ædem D. Pauli processerunt,
 quibus rex quingentas libras sterlingi-
 cas, princeps autem Valliæ ducentas
 diuidendas curarunt, præterea vero
 mille & centum libræ sterlingiæ pro il-
 lis a populo fuerunt collatæ.

Hagæ Comitum. a. d. 19. Decembr. Am-
 stelodamo nuntiatum nobis est, ma-
 gnum Moscouiæ ducem *Biblia* sacra ibi-
 dem lingua russica typis imprimenda cu-
 rare, ita quidem, vt altera quæuis pa-
 gina vacua relinquatur, cui notæ & ob-
 seruationes necessariae adscribiqueant.
 Quam in rem etsi sumtus maximos, vi-
 delicet sexaginta *florenorum* millia fa-
 cere debeat, constituisse tamen, vt quam-
 plurima posthæc procudantur exempla-
 ria, neque passurum eum, vt quisquam
 paterfamilias in omnibus, quæ ei sunt
 subiectæ regionibus, codice isto sacro,
 careat. Hac enim ratione laudatissimus
 Princeps consultum iri sperat, russorum
 in rebus diuinis ignorantia. Neque
 vero proprio tantum, sed ipsorum eti-
 am Sacerdotum instinctu id iniisse con-
 siliū dicitur, vtpote qui plebi tenebris
 ignorantia adhuc obcæcata succurren-
 dum

dum tandem aliquando tali modo statuerint. Ferunt cras aut perendie deliberaturos esse præpotentes Belgii federati ordines, quid statuendum sibi sit de consilio Senatus bellici, suadentis, ut decem militum millia a rege Borussiae conducantur, his enim hoc rerum statu rempublicam nostram ægre carere posse existimant, neque secus litora nostra munita satis fore. Proceres nostri nondum in sententiam Kurakini concesserunt, qui nuper eos rogauerat ut principi suo, cuius negotia hic administrat Imperatoris totius Russiae titulum deinceps tribuerent.

Amstelodami a. d. 16. Decembr. Comes Collierius, qui rebus nostris in aula turcica invigilat, litteras nuper ad proceres nostros dedit in quibus significat, statutum esse Imperatori turcico, Algerianos vere proximo, ut rebelles armis persequi, eo quod mandata sua de renouanda nobiscum pace spreuerint adhuc.

Cameraci a. d. 19. Decembr. Ut fama est, speramus fore, ut conuentus qui hic institui debet, proximo mense Ianuario suum sumat initium, quæ enim hucusque sese obiciebant obstacula, sublata iam esse ferunt. Atrebato nuntiat, colluionem latronum itinera regionis illius admodum infesta reddere, nec reperiri posse consilia, ad opprimendos sceleratos hosce homines.

Genue a. d. 13. Decembr. Superiori die solis celox ex Hispania huc appulsa fuit cum litteris, quibus nuntiat Infantem Hispanicam, iter versus Galliam iam esse ingressam. Eadem ipsa die cursor Roma in Galliam missus hac transit, docuitque Pontificem maximum, in ultimo quem indixerat conuentu, decreuisse, diploma quoddam se edituram, ne cuiquam ex Cardinalium ordine, in aulis siue regum siue principum

quorumcunque summam rerum administrare in posterum liceat.

Hafnia, a. d. 13. Decembr. Legatus Magni Russiae ducis, nudius abhinc tertius, ut gaudium Ducis sui non minus quam suum, de pace cum Suecis inita publice contestaretur solennes instituit epulas, ad easque non tantum aulae nostræ proceres sed & omnes exterorum principum legatos inuitauit. Plebi vero, quæ numerosissima confluxerat, vinum & rubrum & album, sex continuis horis per siphones arte aptatos effundendum curauit.

Ex Holsatia. a. d. 16. Decembris. Ex litteris Dantisco missis percepimus, sex legiones russicas Petropyrgo mandata accepisse, ut profectionem parent, nondum tamen constare quorsum.

Varsavia. a. d. 13. Decembris. Sidus terrificum, quod in partibus nostris nuper apparuerat, variis ominibus ansam prebuit Femina quædam hungara ex ciuitate ketskemet, cum viro suo sitiienti vinum ex cella ferre voluisset, atque a duabus mulieribus veneficis abrepta perque aëra Dresdam vsque delata fuisset, examinata semel iterumque a iudicibus, veniam redeundi in patriam obtinuisse dicitur.

Vienna. a. d. 31. Decembris. Superiori Saturni die, Imperator Augustus, serenissimum principem Virtenbergicum Alexandrum quem nuper Belogrado huc accessisse memineramus, insignibus ordinis aurei velleris ritu solemni in Sacrario aulico ornauit. Hodie vero Excellentissimus Comes Bernhardus Georgius Mikosch, illorum consiliariorum numero adscriptus, qui reditus Imperatoris procurare debent, postquam vitam cum morte commutasset, elatus publice atque in cryptam ad ædem S. Stephani positus est.